



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

61. An quis in Oratorio privato possit consequi Indulgentias concessas
per Bullam Cruciatæ? Et an quando pro lucranda Indulgentia Bullæ
Cruciatæ quis tenetur visitare quinque Altaria, & visitat ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Theol. mor. tract. 1. Exam. 17. c. 4. n. 130. vbi sic ait: Vltimo denique Ecclesiarum ad Indulgentias Cru-

RESOL. LX.

An si quis visitat Oratorium domus sue pro Missa celebranda approbata, lucratur Indulgentiam Bullae Cruciatæ cum onere visitandi Ecclesias, vel Altaria? Et visitando Oratorium quinquies, an teneatur intrare, vel exire quinquies Oratorium, vel sufficit, vt quinquies corde visitet, non autem motu corporali? Et explanatur quid sub nomine Ecclesie intelligatur. Ex p. 9. tract. 12. Ref. 47.

Respondet affirmatiue cum Agidio Trullench in expost. Bulla Cruciatæ, lib. 1. §. 6. dub. num. 2. Quid sit ait: Quæ est primò quid hic nomine Ecclesie intelligatur respondeo intelligi Templum ad diuinum cultum dedicata, Monasteria, Hospitalia, Oratoria priuata, cum etiam eremitoria, quia hæc omnia sub nomine Ecclesie absolute sumpta comprehendimus, vnde potest quis Indulgentiam intentionem visitando Oratorium priuatum lucrari, quia præsertim in fauorabilibus censetur Ecclesia: vnde vir nobilis visitando quinquies Oratorium suum ab Episcopo designatum, & approbatum, lucratur hanc Indulgentiam. Quidam tamen limitat, quando talis vir est infirmus, vel in oppido, in quo non sunt quinque Altaria, repetitur, quam quidem limitationem reiciendam censeo, quia, vt dictum est, Oratorium, absolute loquendo, sub nomine Ecclesie comprehenditur; cur ergo hic fauor limitabitur? Adde cum Rodriguez sic visitantem Oratorium priuatum quinquies non teneri intrare, vel exire quinquies Oratorium, quod libenter admitto, sed sufficere vt quinquies corde visitet, non autem motu corporali, quia Ecclesia in suis præceptis ita obligare videtur, vt homo politicus appareat, quod etsi prohibeatur, probabilius tamen existimo requiri aliquid motum corporalem, etsi modicum & bene compositum: vt si post primam visitationem, seu orationem finitam profundè caput & corpus inclinaret, per quam inclinationem visitationes satis distinguantur, hæc omnia Trullench, cui adde etiam Ludouicum de la Cruz in Bulla Cruc. disp. 1. cap. 8. dub. 13. numero 2.

RESOL. LXI.

An quis in Oratorio priuato possit consequi Indulgentias concessas per Bullam Cruciatæ? Et, quando pro lucranda Indulgentia Bulla Cruciatæ, quis teneatur visitare quinquies Altaria, & visitat Altare sui Oratorii tantum, non teneatur dimoueri loco, nec quinquies Oratorium exire, & intrare, sed solum possit illud quinquies visitare, dummodo qualibet visitatione finita, saltem corpus, & caput inclinet in signum distincta visitationis? Ex p. 9. tr. 1. Ref. 31.

Ententiam affirmatiuam, quam olim, tanquam probabilem, docui, aliqui impugnauerunt, & præsertim quidam Theologus Societatis Iesu. sed im merito. Vnde, me citato, illam tenet nouissimè Garcias in Summa, tract. 1. difficul. 8. dub. 1. punct. 2. n. 21. vbi sic ait: [Preguntata aig. no. si visitando los Oratorios priuados, y rezando alli lo que manda la Bula de Cruzada, ganará la Indulgentia plenaria, que se gana en las Iglesias, visitando cinco Altares, d vno Tom. 17.

cinco vezes, quando en la Iglesia no ay mas, que vno Respondent Villalobos in expost. Bulla Cruciatæ, clausula 8. num. 4. Trullench. eod. tract. lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 2. Ludouicus a Cruce ibidem, disp. 1. cap. 8. dub. 13. num. 2. Diana part. 5. tract. 12. resol. 47. que ii: porque el Oratorio se comprehende debaxo de nombre de la Iglesia, pues es esto fauor, y se ha de entender. Estos mismos Autores passan adelante, y preguntan, si es necesario hazer cinco mouimientos para ganar la Indulgentia, por no auer mas que vn Altar en el Oratorio, y auz de visitarse cinco Altares, d vno cinco vezes: y responden con Rodriguez, que no es necesario entrar, y salir cinco vezes: pero que es necesario algun mouimiento, qual es acabada vna visitacion, inclinar el cuerpo, y acabaça algo para la otra, con cuya accion se distinguen suficientemente las cinco estaciones.] Ita ille: cui adde nouissimè, etiam me citato, Leandrum de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 14. quæst. 75. & Machadum tom. 1. lib. 3. part. 2. tract. 4. doctum. 5. num. 4. Verùm ait Bardi in Bull. Cruc. part. 2. tract. 4. cap. 4. sect. 4. num. 31. quicquid sit, an Oratorium priuatum, & domesticum, designatum ad Missas celebrandas hic veniat sub nomine Ecclesie, in præsentia sufficit venire sub nomine Altaris: nam eo ipso, quòd sit destinatum ad Sacrificia in eo facienda, nihil illi deest ad rationem Altaris propriè dicti.

RESOL. LXII.

An dicta Oratoria priuata gaudeant priuilegio Immunitatis Ecclesie? Et quid de Oratoriis priuatis Religiosorum ratione claustris, & Grangiarum? Ex p. 9. tr. 1. Ref. 18.

§. 1. Affirmatiue respondet Henriquez penes Trullench in decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 1. num. 9. sed ipse merito contrarium docet. Dico itaque, quòd Ecclesie immunitate gaudet Oratorium publicum auctoritate Episcopi constructum, & perpetuo cultui diuino dicatum; ita vt amplius in vsus profanos transferri non possit; hoc enim censetur locus sacer, & religiosus. Secus autem de Oratorio, seu Capella, quod priuati habent in domibus suis, quæ priuata auctoritate sunt constructæ, quamuis in eis Episcopus celebrandi facultatem dederit cum licentia Pontificis: quia hic locus non dicitur sacer, & religiosus, nec immutabiliter dicatus cultui diuino. Ita tenet etiam Sanchez in Opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2. & Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 68. vbi testatur ita declarasse sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, die 17. Iunij 1617. quod ego etiam * alibi adnotau. & notat Lezana in summ. tom. 3. verb. Immunitas, num. 4. Vide etiam Emmanuelem Themudo in decisionibus Archiepiscop. Vlyssip. tom. 1. decis. 45. n. 29.

2. Verùm supradicta non procedunt in Oratoriis priuatis religiosorum, (de quibus * infra?) quia dicta Oratoria, cum potius publica sunt in ordine ad religionem, licet priuata exclusionem extraneorum Immunitate gaudent; si non ratione sui, saltem ratione claustris, aut Grangiarum, quæ tali Immunitate gaudent, vt ex priuilegio concessio Ordini Cisterciensium refert Rodriguez tom. 2. quæst. 75. articul. 2. Et ita hæc sententiam tenet Bordonus in consil. reg. tom. 2. resol. 90 num. 6.

RESOL. LXIII.

An si quis, v. g. fornicaretur in Oratorio priuato, committeret sacrilegium? F 3 Vnde,

Sup. sequentibus abhine in Ref. 2. annot. præterita, post medium vsque in fine, & pro parte leg. infra in trad. 3. Ref. 130. post mediu, vers. Quando. & inferius in tr. 5. Ref. 34. §. vlt.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 1. Ref. 9. §. 2. ad mediu, vers. nam in Oratoriis, & hic supra in Ref. 12. §. Verum. in principio.

* Alibi in Ref. 1. annot. præterita.

* Infra in Ref. que hic est supra 1. §. Verum. & in aliis annot. secundæ dicti §.

V N A
B N I A
L I V V
I I I